

av 76

0081

U

9/943

2m



DISPUTATIONES VARIORVM

De Asthmate

De Eius carniū humanarum, ~~moralitate~~

De Studiosorum noxiâ,

Medicina corporis,

Panacea

De regulis communicationis motus,

De Cervo laeso in ventriculo sinistro cordis,

De labiis leporinis,

De lithiasi,

De Hydrope,

De Atrophia,

De glandulis in intestino duodeno delectis,

De glandula pituitaria,

Oratio funeb. Cys. Bonii

De febribus in genere,

De Capitis affectionibus,

De Catalepsi

De phthisi

De Arthritide.

DISPUTATIONES
VARIORVM

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Disputatio Inauguralis Medica 9
De
LITHIASI

Quam
ANNUENTE DIVINO NUMINE
Consensu & Autoritate Inc'pte Facultatis Medicae
IN ILLUSTRIS
ATHENÆO HASSO SCHAUMBURGICO
Sub PRAESIDIO

**DN. CONRADI
JOHRENI**

Phil. & Med. U. D. ejusdemque & Naturalis Philos.
Professoris Publici Ord. celeberrimi p. t.

DECANI spectatissimi

Patroni ac Praeceptoris sui aeternum de venerandi.

Pro summis in Arte Medica honoribus ac
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
legitimè capessendis.

Publico. Excell. Dn. Professorum aliorumq; Eruditorum examini exhibet;

IOHANNES MARTINVS Frost.

Cassellanus.

ad d. 14. & 15. Novemb. horâ & loco consueto,



R. IN THE LII, Typis G. C. Wächters Acad. Typogr. An. 1678.

MECOENATIBUS
PRÆCEPTORIBUS,
PARENTIBUS

AMICIS

Sacrum esto.



I. N. I.

THES. I.



Urabant jam dudum sub incertitudi-
nis dominio scholæ Medicæ, cum ex-
cusso earum jugo anhelantem medi-
cinam dextrè vindicaret *Paracelsus*
Germanus, neglectis earum hypothe-
sibus sibi ipsi fundamentum ex natu-
ræ penetralibus adstruens, cui medicinæ sacrum im-
poneret, nec infelici fato! cùm non leves de fractâ
primùm glacie ipsi gratias debeant moderna tempora.

I I

Non sufficiens ipsi erat humorum aut elemento-
rum quaternio, cum qualitatibus eorum concurrenti-
bus, ex quibus hætenus omnes morborum causæ di-
ductæ erant, hisque applicaverant remedia Medici,
quæ in hoc sæpius media fuere, ut è medio satis infe-
liciter sublatus fuerit ægrotus.

A 2

III!



III.



Nec sufficere nobis crudam sanè notitiam existimavit in generatione Calculi, quæ cum petrificatione sive lapidescentiâ in macrocosmo maximam analogiam habet, prout autem lapides produci & fieri è terrâ per levem commixtionem reliquorum trium Elementorum, tanquam causam materialem, beneficio caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis, tanquam per causas externas & efficientes persuasæ fuerunt scholæ.

IV.

Sic & durissimum illum corporis humani hospitem, qui pertinaciâ suâ interdum & ferrum in remedium de poscit, Calculum dico, ex pituitoso & terrestri humore accedente calore, qui aqueas particulas resolvat & dispergat, terrestres autem remanentes in lapidem induret, fieri & per terram figuli, quæ calore solo lapidescat, se sufficienter probasse existimaverunt ex Galeno 30. de alim. facult. cap. 17. Quidam frigiditate calculum concreescere asseruere, sed his pauciores ad stipulati sunt.

V.

Quod si autem rem inspiciamus penitius, prædictæ sententiæ Galenicorum de Calculo calculum addere nobis nemo persuadebit. Pituitosus enim humor per calorem potius in mucum aut cretaceam substantiam, terrestris in glebam abiret, & quoniam ille calor corporis humani adeò intensus non est ut pituitosum humorem in lapidem, sicut furnus figuli argillam in laterem excoquat, facilius à calore remissione coagulatum illud in aquâ solveretur, ut docet Arist. 4. meteorol.

5

teor cap. 6. singulis autem fermè locis in corpore hu-
midum affluit, præsertim renibus & vesicæ, ut pote locis
aquosis & serosis humoribus suscipiendis & expurgan-
dis destinatis, nec minus tamen consuetis frequentiori-
busque calculi domiciliis. Plura vid. apud Riverium *prax.*
Med. lib. 14. cap. 1. de calculo renum pag. m. 411. & seq.

VI.

Sennertus non magis acquiescens sententiæ huic
ac nos, consentit nobiscum *lib. de consens. Chymicor.*
cum Galen. cap. 11. inquit, Licet vulgò multi è qualitati-
bus primis calculorum concretionum & coagulationum cau-
sas reddere conantur: tamen frustra laborant. Nam nec
exsiccatio, nec calor nec frigus hic locum habere possunt, ut
primaria causa, (nam ut causam sine qua non concurrere
posse) non negamus, dum scilicet calor aquam qua concretio-
ni obstat, absorbit,) neque à quoquam hætenus monstrari po-
tuit quomodo calor talem concrescendi dispositionem genera-
re, & succum lapidescentem producere possit.

VII.

Frigidissima sententia eorum est, qui causam cal-
culi in frigiditate ponunt, quippe frigus neque absolu-
tum neque positivum datur in corpore humano, pro-
portionaliter à sanguinis motu incalescente & cal-
culi etiam in calidissimis, ut vulgò, loquuntur corporis
partibus, jecore, corde, pulmonibus, ventriculo & a-
liis reperti fuerê. *Fernel. 5. Pathol. cap. 10. Galen. lib.*
4. de loc. aff. cap. 9. Alex Bened, lib. 13. cap. 12. Miscel-
lanea med. phys. Nat. Cur. &c.

VIII.

Nec eodem pede pergere eundemque voluit dor-
mirè

A 3



mirum veterum Paracelsus; cum suspecta ipsi fuerit causa Minerva, Tartarum in scenam producens cui causam calculi immediatè adscribit. *vid. ejus lib. de Tartaro &c.*

IX.

Quapropter satis acerbè in Paracelsum sed indignè insurgit Helmontius, quem alias magni æstimò, Tartareum figmentum vocans Tartarum, ideoque ad generationem calculi intrare non posse *vid. ejus tractat. de Tartaro Item de lithiasi.* Verè autem & genuinè lapidescentiam sive petrificationem ex aquâ & seminibus, ex quorum commixtione & alteratione varias corporum formas componantur, diduci autumat. Non refragamur. Verùm illud ipsum vitium cuius Paracelsum inculat, affectâsse nimirum Monarchiam medicam novis suis hypothesebus, pleno cursu incidisse Helmontium non obscure animadvertitur. Ideoque & Paracelsum intelligere noluit, ne videatur idem dixisse, quod tamen realiter idem est. Paracelsus cum Tartarum calculi causam vocat, materiam ejus proximam intelligit, non efficientem. Tartarum autem item ex aquâ & seminibus, quæ & spiritum coagulatorem & spiritum salis vocat, generari scribit *libro. Von Tartarischen Krankheiten præsertim à cap. 9. ad cap. 14 pag. m. 296. & seq.* Constitutiva autem illa principia quibusdam Alkali & Acidum, Aquam & ignem, vocare placet, verum stolidissima lis esset de Terminis, modo in re consentiamus, indeque si bene distinguatur inter causam efficientem, principalem, antecedentem & materialem, proximam, solitariam & sociam



am rem expeditam faciliorque crenâ Helmontii argumenta, quàm quâ conscripta, delenda fore judicamus, modò disputationis prolixitas non inhiberet & relinquendum esset, quod disputari posset.

X.



Ingenuè fatetur Exc. Tacchenius rectè sentire Paracellum, ubi inquit, calculum (& nodosam podagram) instar tartari coagulari binis facultatibus, juxta Hippocratis doctrinam acido nimirum & alcali secumque coagulare feces quasdam ibidem casu repertas. vid ejus Hippocratem Chymicum aureum libellum cap. 14. cui inscriptio, calculum componit & dissolvit pag. m. 93. in quo exactam calculi anatomiam spagyricam exactè instituit; addo ipsius verba pro majori lumine: Accipe calculum vesicæ excisum vel sponte renibus elapsum ʒj. vel alterius ponderis, perinde est, hunc inde vitrea retorta novæ ac mundæ [calculus non sit in pulverem contritus sed ea magnitudine, ut in retorta collo non hareat] retortam in arena locato, cui appone receptaculum mundum ac novum; urge moderato igne, sic primo extillabit alcali simile alcali urina, nullius tamen odoris, & paulo post sublimatur siccior pars, quæ retortæ collo adhærebit, ambos spiritus liquidum scil. & solidum misce, ac diligenter vasculo vitreo cera obdurato serva, alias in aperto in auras fugax abiret, de quo Hipp. de diet. seorsim neque sibi, neque ulli alteri sufficiens est. In frige factâ retorta reperies calculi frustula eadem forma, quâ posita fuerint, adeo tamen levia, spongiosa & friabilia, ut si digito saltem leviter utigeris in pulverem concidant, sicut cadavera in
sub



subterranea Roma: Quibus frustulis integris si rursus af-
 fuderis abstractum ac reservatum alcali, corpus pristinum
 non assumunt, eo quod proprium acidum coagulatore[m] in-
 visibilem, quem alibi *RECTOREM* vocavi, amiserint,
 ut in salis tartari examine mechanicè etiam demonstravi:
 ac humecta spongiosa n[on] materiam in retorta restitantes
 cum spiritu vitrioli rectificato & omni aqueo humido pri-
 vo statimque alcali affunde, sic eodem momento illico coa-
 guletur calculus, similis illi, quem in examen traxisti, non
 quod spiritus vitrioli sit calculi faber, sed quod sine acido
 calculos non coagulari, ostendere volui visibili argumento,
 nisi alcali, inquam, in dicto cadavere reperiat acidum spe-
 cificum, quod illud liget, aut vinciat, simul concordat, ac
 magister, calculus coagulari nequit, solum enim non persi-
 stit, sed juxta ejus naturam in auras avolat: seorsim enim
 neque sibi, neque alteri sufficere docuit Magister.

XI.

Causæ Externæ lithiasis sunt sex res non natura-
 les ita dispositæ ut acidum austerum in corpore usu suo
 augeant aut pituitam viscidam serumque alcalisatum
 magis producant, quæ medicum ex dogmatibus me-
 dicinæ generalioribus latere non possunt. Paracelsus
 præcipue notat legumina & lacticia omnia libro von
Tartarischen Krankheiten cap. II. quem vid. item *Vn-
 zer. de Nephritide* cap. 3. Calculosam etiam disposi-
 tionem parentum in liberos derivari nemo negabit,
 nec probatione indiget, experientia teste, nisi semi-
 num effervescentiis radices morbi expugnentur, vel ru-
 dimenta ejusdem in utero deleantur naturali vi bal-
 sami.

  9

samica, Quandoque verò Calculosi à non calculosis generantur, quando nempe materia calculi in parentibus adhuc est in formâ resolutâ: Planè enim coagulata difficilius propagatur: multa siquidem continentur in semine parentum, quæ maturitatis & exaltationis tempora expectant, & in filiorum astronomia explicantur, *vid. Severin. Id. med. Phil. cap. 12.*

XII.

Differentiæ Calculorum variæ sunt, & vel locum generationis vel calculos ipsos respiciunt, in variis autem locis corporis calculos generari observationes celeberrimorum medicorum testantur & quidem in specie

De Cerebro: Joh. Kentmannus civi cuidam lipsiensis, calculum formâ & magnitudine mori in cerebro repertum scribit. Ita *Jacobus Hollerius in schol. ad cap. 4. libri de morbis internis* observavit calculos in capite concretos. præterea lapides in capite, cranio & cerebro nasci testantur *Brassavolus comm. ad aph. 79. lib. 4. Hipp. VVierus de malis. Aff. cap. 16. Corn. Gemm. lib. 1. cosmogr. c. 6. Bartholinus Cent. 1. Hist. anat. rar. Obs. 33. de virgine Danicâ, quæ lapides magnitudine Dactylorum per nares post præcedentes capitis dolores emunxerit. Fab. Hildanus cent. 1. obs. 11. lapidem ex Gypseâ materiâ concretum membrana inclusum inter duram & piam matrem invenit fortiter adhærentem, aperto capite. Theodor. Kerckring. Obs. 35. pag. m. 79. in puero secto, stulto quasi ante, semperque somnolento & obtuso capite, glandulam pinealem de suis-*



B se



se & lapidem in dextro priore cerebri ventriculo gran.
XIII. pendentem repertum fuisse narrat. De lapide
intra cranium acutissimè angulato vid. *Isaac. Cattieri*
Obs. med. ad Petrum Borellum obs. XV. pag. 49. observa-
tionem de cerebro Bovis petrefacto Patavii *Ephem.*
misc. curios. inseruit Ann. I. obs. 26. *Iohan. Theod. Schen-*
kius. idem Exc. Bartholinus de bove Suecico Epist. 8.
cent. III. & cent. VI. Hist. med. obs. 91 pag. 357. scribit.

De linguâ: Forestus in schol. ad obs. 18. lib. 24. ex
lingua erumpentem vidit calculum. Avenzoar cap. de
nocumtorenum. lapidem sub linguâ generatum refert.
Hieron. Montuus lib. 4. cap. I. Anasc. morbor. narrat.
se vidisse lapidem sub linguâ cujusdam heroinæ natum
indeque instar strobili evulsam vidisse. Vnzerus de ne-
phritide lib. I. cap. V. calculum oblongum durissimum
& siliceum formâ ac magnitudine oss. Dactylorum re-
spondentem, qui sub linguâ cujusdam mulieris in ab-
cessu quodam natus & rupto tandem eo spontè egres-
sus fuerat, & vidisse, & propriis manibus contrectasse
asserit. Item calculi sub linguâ feliciter excisi men-
tionem facit. D. Simon Schulz. in Ephem. misc. curios.
med. phys. obs. I. Ann. & tophorum sub linguâ Garman-
nus ibid. obs. 43. pag. m. 73.

De Pulmonum calculis vid. Galen. lib. 4. de loc.
4. ff. cap. 6. Fernel. lib. 5. Pathol. cap. 10. Fabricium Hil-
danum Cent. 2. obs. chyr. 29. VVierum de prestig. Demo-
num lib. 3. cap. 2. & lib. 4. cap. 16. Ephem. misc. curios.
Ann. I. Obs. 158. item An. II. obs. 131. pag. m. 278. Item
Ann. III. obs. 16. pag. 21. & Ann. IV. & V. obs. 132. pag.
176.

  I I

176. & obs. 221. pag. 326. Pulmonum calculum tussi pro-
jectum in fabro lignario quodam observavit Excell. D.
Matthias Tilingius Præceptor meus & fautor honorand^{us}
in Ephemerid. Curios. Germanic. Ann. 6. & 7. obs. 132.

De Liene. Lapidem in liene cujusdam fæminæ
nobilis sub albidum, Alabastris mollitie pondere ʒiiss.
& ʒi. reperit Turneiserus vid. insuper Ann. IV. & V. E-
phem. misc. curios. obs. 57. pag. m. 48.

In Hepate & Cysti felleâ lapidum sive calculo-
rum historias vid. Ephem. misc. Curios. Ann. I. obs. 129.
pag. 283. Item obs. 66. pag. 164. Item Ann. II. obs. 106.
pag. 179. Item Ann. III. obs. 206. de calculo vesicæ
felleæ mirabili & raro. Fuit quidam in Prussia ducali No-
bilis ex cujus cystide felleâ nonaginta novem lapides,
pisorum magnitudinem æquantes inventi sunt. Vid.
eandem obs. quæ est Cnæffellii: Plures observat conti-
nentur Ann. IV. & V. pag. 226. 302. 303. Item Ann. VI
pag. m. 99. & 322.

De ventriculo. Paracelsus. Tract. 2. lib. in annot.
ad cap. I. de Tartaro. Venetiis in anatomia cujusdam
in ventriculo tres lapides repertos esse scribit. Ale-
xand. Benedictus lib. 13. cap. 22. quendam lapidem nu-
cis juglandis magnitudine vomitu rejecisse testatur.
vid. etiam Cardanum contrad. med. 9. lib. 2. tract. 5.
Gesnerum part. 1. lib. fossil. cap. 12. An. II. Ephem. misc.
curios. obs. 181. pag. 278. Ann. III. & IV. obs. 86. pag.
142.

De Intestinis. Brassavola comm. ad Aphor. Hipp.



29. lib. 4. mulierem Gallicam vidit, quæ lapides quinque ex ano egesit vid. & Fernel. lib. 6. cap. 9. Mercurialem lib. 2. cap. 4. de excrement. Calculorum in intestinis prognatorum & cum fæcibus excretorum meminit Obs. 39. Eph. n. misc. curios. Ann. 11. pag. 163. pag. 220. & Ann. iis & V. obs. 99 pag. 103.

De Calculis ex umbilico vid. Carpum in comm. ad anatomen Mandini. Columbum lib. 15. Rhodium C. 2. obs. 99. D. Vollgnadius Eph. misc. curios. Ann. 3. Obs. 329. pag. 542. sub superiore parte umbilici viri Cujusdam post tumorem & effluxum serosi humoris calculum parvæ dimidiæ avellanæ magnitudine chyrurgū exemisse refert.

De Lapillis in digitorum extremitatibus reperitis vid. Joh. Kentmann. in lib. de calc. cap. seu distinct. 12. cum sanguine venesectione excretis, Eph. misc. curios. Ann. 1. obs. 65. pag. 163. de lapidibus tophaceis nigris ex ulcere tibix vid. ibid. in schol. ad obs. 66. pag. 155. ex Borell. obs. Cent. 1. obs. 4. In enterocoeles curatione Viri cujusdam quadragenarii prope vas spermaticum deferens dextrum calculum pisi magnitudine invenit D. Matthias Tilingius, Profess. & Præcept. meus hujus loci celeberr.

Exiguum lapillum in arteriæ aortæ cavitate, supra valvulas mitrales adnatum in Sectione corporis virilis nuper se invenisse, scripsit ad D. Matth. Tilingium Excell. Henricus Euffonius, Med. Doctor & Academiae Groninganz Professor Primarius.

Uli rariores, nec facilè ante excretionem aut dissecta cadavera sese medico produnt, calculi verò Renum & vesicæ communissimi sunt, & charta non suffice.



ficeret omnes observationes de his colligere, qui singulis ferè librorum paginis occurrunt. Frequentiorem hi medicorum exoptulant opem, ideoque & magis ad hos curationem postea restringemus.

XIII.

Differentiæ, quæ calculos ipsos respiciunt, sunt
1. *Ratione Numeri*, cum unus interdum plures satisque copiosi calculi excernuntur. 2. *Ratione magnitudinis*, sunt enim calculi alii magni, alii mediocres, alii permagni, de quibus varias observationes videbis apud Authores. 3. *Ratione Coloris*, variant lapides alii colore albo & candidiore, eò quod mucilaginem majorem associatam habent, suntque propterea duriores, alii ruffo colore conspiciuntur, quando paucus sanguis admiscetur ex erosione venis ab acido loci defluente, simulque coagulatur, hique friabiles sunt. Alii subflavi ac fulvi, nonnulli spadiceï ac nigri, alii denique alio calore insigniti prodeunt, pro diversitate mineræ, quæ materiæ eorum inest, & vel aluminosa, vel nitrosa, vel vitriolata, vel alterius cujusdam generis esse potest. 4. *Ratione figurae*. Alii enim calculi rotundi, alii teretes, alii angulati, acuti, tricuspides, alii aliam pro matricis sive loci in quo generantur modificatione & varietate; Variarum figurarum Calculos hinc inde vid. in *Ephem. misc. curios. & Schenckium in obs. 8. lib. 3.* ubi varia lapidum monstrosa generare exhibentur. 5. *Ratione Modificationis substantiæ* differunt calculi, unde alii duriores sunt & compacti



pauci, alii friabiles, laxi, spongiosi, alii denique pro viribus coagulatoris nacti sunt consistentiam.

XIV.

Diximus supra Calculos Renum & vesicæ esse communiores, quibus etiam, omisis rarioribus casibus, qui plerumque medicum latere solent, donec vel calculus se ipsum ope naturæ vel post mortem sectione prodat, signa applicari volumus, respiciunt autem ea calculum vel renum vel vesicæ, obiter notandum erat, signa esse æquivoca ut plurimum, neque seorsim sed conjunctim esse consulenda.

XV.

Calculum Renum judicant dolor fixus & stabilis circa lumborum regionem, gravativus ut plurimum. Stupor fæmoris ac cruris è regione renis affecti. Urina cruenta vel turbida, interdum tenuis aquosa & pauca, quæ non raro supprimitur penitus. Nausea & vomitus. Testiculi in latere affecto retractio; Avenularum & sabulosa excretio, & quod Hipp. Aphorism. 3. 4. sect. 4. Quibus, inquit, bullæ in urina natant nephritica mala, diuturnamque ægritudinem significant.

XVI.

Dolor nephriticus interdum tantam similitudinem obtinet cum colico, ut non raro decipiantur cum Galeno medici: vid. etiam Schenckium in obs. 7. lib. 3. ideoque & signa apponenda duximus quibus hi morbi distinguantur 1. Dolor nephriticus fixus à rene ad testem exporrigitur secundum ureteris longitudinem; Colicus verò vagus est, & cinguli instar medium ventrem affligit 2. Colicus dolor à pastu augetur,
neq;



nephriticus potius imminuitur. 3. In colico dolore ab excretis per alvum & vomitum majus levamen ac in nephritico. 4. In Dolore nephritico urina primum clara & tenuis & transcolata est, postea aliquid subsidet, & tandem lapilli aut arenulæ excernuntur, in colico urinæ initio crassiores sunt.

XVII.

Calculi vesicæ indicantia signa sunt. Dolor in collo vesicæ, qui circa finem mixtionis exasperatur, & ad glandis extremum exporrigitur, pruritus in Pudendo ut æger cogatur, sæpius illud scalpere & contrectare. Pondus & dolor gravativus in peritonæo ad petinis regionem. Mingendi difficultas. urinæ inter mingendum suppressio; Facilius exitus urinæ resupinato corpore. Frequens virgæ erectio, Tenesmus & frequens desidendi cupiditas, conjuncta mingendi cupiditate, inquietudo & denique lapillorum aut arenularum excretio ad *Sporism. Hipp. 79. sect. 4. Quibus in urinâ sabulosa subsident iis vesica calculo laborat*, qui verò Aphorismus aut mancus aut absolute non erit intelligendus.

XIX.

His præmissis curationem annectimus, perficitur autem ea, dolorem sedando si nimis urgeat, quod commodè fieri potest clystere & linimento. Clyster fiat ex anodynis, emollientibus & carminantibus. Linimentum ex iisdem E. g. *Ol. Scorpionum, Amygdalarum dulci. chamomel, anethin. rutic. &c.* Non adstipulamur iis, qui venæsectionem suadent, sed majorem spem ponimus in purgantibus, quibus materiam

an-



vel *κατὰ purgantia*, vomitoria bis & vel ter in mense re-
 petenda dabunt *sal vitrioli vomit. Tartarus Emeticus Myns.*
illicò Aqua benedicta Rulandi, Mercurius vita, quo nephri-
 ticos se curasse gloriatur *Angelus sala. κατὰ purgantia*
erunt præsertim Cassia & Rhabarbarum, præstantiora
 sunt *mercurius duleis & præcipitatus albus*, quorum insi-
 gnis in calculo debellando vires, docuit Exc. Præsidis
 experientia; Purgantia verò adhibenda erunt, cum do-
 lor aliquantum fuerit remissus. Calculum denique
 frangentia & dissolventia colophonem imponunt, qui
 infinita apud autores reperies, nos selectiora tantum
 proponimus. *Tackenius* laudat *Semen nymphae. cap. 3.*
pag. m. 97. Hartmannus urinam hirci, Helmontius succum
betulae, oleum Ludi magni æstimant Paracelsus & Hel-
montius, vid. etiam Ann. 3. Ephem misc. curios. obs. III.
Andrea Cnæffolii, nec spiritus sal. Tartari volat. & Sal
armoniac. urinosus contemnenda sunt remedia. de bal-
 samo tartari acaciato live samech consule *Paracelsum*.
 Subjungimus *Pulverem & balsamum mirificum* in affe-
 ctibus calculosis & Tartareis, quæ communicatio-
 ni Exc. Præsidis debemus cujus licentia data appo-
 no. Pulvis est hic.

℞. Asell ppe. ʒij.

Spongiar. rose sylvest. sive Cynosbat ʒʒ.

Sem. Dauci.

Lycopodii aa. ʒiʒ.

Sacch. Opt. ʒʒ.

M. F Pulvis.

Cujus usus ad tempus manè & vesperi ad ʒi. in deco-
 cto Cicerum aut aq petroselin. aut vino silicibus can-
 defa



defactis sæpius usto, continuetur & felix successus de
veritate rei testabitur.

Balsamus est hic.

*Rx. Flor. Sulphur. ℥ii. solve in Spir. Terebinthi. ℥xii.
ol. baccar. juniperi ℥iiij. adde salis succini vo-
lat. microcosm. volat. ann. ℥ij. Aloës, myrrh,
mastich, Croei aa. ℥j. cum circulato minore fiat
Balsamus cu jus Dosis à ℥ss. ad ℥j.*

Diuretica cautè & non nisi fracto primum calculo ad-
hibeantur Pharmacia verò ob calculi in vesicà Pertina-
ciam nil proficientibus ad sectionem confugiunt sæ-
pius ægri, quam tamen Juramento Hippocratico obli-
gati lithotomis relinquimus. Vide autem de eâ chy-
rurgos.

Deo fit Laus Honor & Gloria.



Clarissime nec non Doctissime

Domine DOCTORANDE,

Amice plurimum honorande.

Medicis omnibus rationalibus elegans hoc cedroque di-
gnum præceptum est observandum: Medicus ratione
utatur semper, & experienciâ. Ea propter autem Me-
dicus ratione ac experienciâ utatur, cum fundamenta
sint ac bases, quibus universa Medicina firmiter innititur; instru-
menta siquidem sunt, sine quibus nihil in arte constitui, vel con-
stitutum applicari potest; instrumenta sunt, quorum usu scientiæ
& artes comparantur: instrumenta sunt, quorum auxilio morbi

C

coano



cognoscuntur atque sciuntur. Ille certè Medicus in morbis
 cum cognoscendis, tum curandis claudicat, quem crura hæc firmi-
 ter non sustentant; nec claudicat solum, sed planè quoque cæc-
 eus viam perambulac ignotam: ut nauta in mari navigas
 procelloso: Medici sanè veri nomine indignus videtur, qui ratio-
 nem & experientiam, omnia ex vano atque præstolido suo cere-
 bro fingendo, negligit. Ars ipsa maximè ratio mera est, mera
 experientia. Hujus periculum, illius difficultatem aræ in herere,
 artificemque ipsum turbare dixit jam dudum Hippocrates sect.
 I. aphor. I. Experimentum periculosum, judicium dif-
 ficile. Experimentum hic idem videtur cum experientia, nisi
 quòd experimentum ex multis experientis confletur, sicut ex experi-
 mentis ars. Per judicium intelliguntur rationes, quibus artes inve-
 niuntur, & inventa confirmantur, & quibus veritas omnium, quæ
 sub arte continentur, judicatur. Per rationem ergo ab universaliter
 formatis conceptibus ad singula quæque resultantia descendimus. Et
 sicut universim similia similibus, ad sanitatis conservationem, con-
 traria contrariis, ad morborum sublationem, assignamus: ita in
 singulis quoque colligimus. Ratio sola est, quæ calida opponit frigi-
 dis, & frigida calidis, & quodcumque extra justæ moderatiquæ tem-
 peramenti lineam abiit, pari contrario exhibito reducendum im-
 perat. Tanta igitur ratio cura dux, atque norma infallibilis est!
 ex dubiis enim plana, ex ignotis certa, ex obscuris clara reddidit
 omnia. Id ipsam verò, quod à ratione inchoatum atque proci-
 sum, experientia quotidiano confirmat usu. Hac semper aræ fides
 præstat, non nuda, rudis ac fortuita, nec temeraria & præcepta,
 sed optimè ratione fuleta confirmataque. Et quamvis aræ sepe
 dicatur esse, artem cum ratione negligere, & naturam ex legem mi-
 nistrum Medicum à legum nexu vindicare, quandoquidem ne-
 mo spe ademptà certò perire, quàm cum periculo agrotare malit,
 impioribus tamen omnibus. & Empiricis nullum hinc patrocini-
 um, nullum solatium. Quicumque absque ratione ulla medi-
 cum ingrediuntur hortum, & illotis quasi manibus egregios flores
 inventos contrectant, jure meritoque vapulant.

Præceptum hoc eximium, Te, Clarissime Dne. DOCTORAN-
 DE,



DE, benè observâsse, ex Disputatione Tua Inaugurali, quam de
Lithiasi satis doctè periteque conscripsisti, atque ex principiis
qua Medicis accuratioribus Acidum & Alkali dicuntur, bre-
viter deduxisti, vidi. Rationibus in ea cuncta probas & experi-
entiâ confirmas. Laudabile sanè factum! Conscende igitur ca-
thedram publicam Disputationemque Tuam non tacendo,
sed loquendo, fortiter defende. Sic honorem & ornamentum
Tibi conciliabis, magnoque omnium applausu dignum Te facies,
qui Doctoris nomine in posterum salutaridebeat. Faxit autem
Deus altissimus, ut per Tuam sedulitatem vi principiorum pra-
stantissimorum, Acidi nimirum & Alkali, quibus Disputatio-
nem Tuam illustrasti, multos etiam alios morbos diligenter co-
gnoscas, eorumque impetus feliciter frangas.

Quod Clarissimo Domino DOCTORANDO
ex animo apprecatur

MATTHIAS TILINGIUS, Med.D.

ejusdemque Facultatis in Vniuersitate Has-
sio. Schaumburgico Professor Prim. Archiater
Hassiacus, Sacri Romani Imperii Academia
Naturæ Curiosorum Zephyrus, &c.

Dabam Rinthelii
in Museo meo d.

12. Novembr. An. 1678.

Trostius aggreditur morbos; procul ite
maligni

Atque graves focii corporis, ite foràs;
Triste furensque malum, cui nomen calcu-
lus, ito,

Nā te quæ pellat cura medentis adest:
gratulabundus f.

**Joh. Kahler, Prof. Mathemat.
& Metaphys.**




Nd're mögen sein bedacht/
Wenn sie Zephyrs Gunst verspüren/
Mit der schnellen Segel-Jagt/
 Edle Steine weg zu führen/
 Und des Ganges güldnen Sand/
 Aus des reichen Moguls Land.
Ihr/ Herr **TRDSE**/ bemüht allein
Euch/ den Schmerzen/ Stein zu heben/
 Der dem Menschen grosse Pein/
 Machtet/ und verkürzt das Leben.
 Wol/ mein Freund Er fahre fort
 Hier/ und sonst am andren Ort.
So des Todes Mörder-Heer/
Daß stets sucht uns aufzureiben/
 Durch Machaons Gegenwehr/
 Allzeit tapffer zu vertreiben:
 Alsdann wird er sein ein **TRDSE**/
 Der die Krankende erlöst.
Wo wenn nun in kurzer Zeit/
Wer Apollo seinen Söhnen
 Wird auftheilen hier die Beut/
 Und ihr Haupt mit Lorbeern trönnen;
 Wird Er geben auch zu Lohn
 Ihm der Tugend Ehren-Krohn.

Mit diesen wenig Reymen hat dem Hn. Candidaten,
 als seinem liebsten Haus- und Tisch-Geo-
 nossen glückwünschend auffwarten wollen

Ernst Adam Busse/

TH. C.






AB: 155451

ULB Halle
003 487 253


3



sb.

VD 77






Faint, illegible markings or text on the left side of the cover.

Faint, illegible markings or text near the bottom left corner.

Faint, illegible markings or text near the bottom right corner.





Inauguralis Medica

De
H I A S I

Quam
E DIVINO NUMINE
Oritate Inc'pta Facultatis Medicae
IN ILLUSTRIS
ASSO SCHAUMBURGICO
sub PRAESIDIO

ONRADI
HRENII

ejusdemque & Naturalis Philos.
Publici Ord. celeberrimi p. t.
CANI spectatissimi
ceptoris sui aeternum de venerandi.

Arte Medica honoribus ac
IS DOCTORALIBUS
imè capessendis.

forum aliorumq; Eruditorum examini exhibet;
ES MARTINVS Frost.

Cassellanus.
5. Novemb. horâ & loco consueto,

ypis G. C. Wächters Acad. Typogr. An. 1678.